



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua  
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 14. Ludouici Landgrauij exemplo, scioli docentur, à præscientia Dei,  
contra arbitrij libertatem, non esse argumentandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)



hominibus imponat peccandi necessitatem. •  
Quin & Mundo præcipuum quendam adi-  
munt ornatum, in quo pulcherrima est va-  
rietas, si aliæ causæ necessariò, aliæ contin-  
genter, aliæ ex libertate operentur. Quam-  
obrem, contra hoc *Fatum*, omnes SS. Pa-  
tres, vnanimi consensu, pugnant. Pugna-  
verunt & Ethnicorum sapientes, quorum  
non nemo, cum seruus vapulans diceret: *In  
fatis fuit, ut furarer:* respondit: *in fatis fuit,  
ut vapulares;* ita *Fatum Fato* quasi cuneum  
cuneo pepulit. Periculosissimus hic diabo-  
li laqueus est, quo argutuli, sed non satis  
docti capiuntur. Ut ignauiam suam excu-  
sent, Deum accusant. *Fatum* obtendunt,  
vt firment desperationem. Quid enim ten-  
tet, qui aliter facere non potest? aut quid  
speret, de quo actum est? Sed, vt insanis istis  
vel medicus helleborum porrigat, histori-  
am, ex pio authore, vtilissimam dabo.

§. XIV.

*Ludouici Landgrauij exemplo, scioli docentur,  
à præscientia Dei, contra arbitrij liberta-  
tem, non esse argumentan-  
dum.*

*Ex relatione, inquit, cuiusdam viri religiosi  
cognoui, Ludonicum Lantgranium, patrem* Cælarus  
Heisterb.  
l. 1. c. 27.  
Her-



• *Hermannii Lantgrauy, qui ante hos duos annos defunctus eſt, in errorem periculoſum non ſolum propriae animæ, ſed & ſubditorum ſubſtantiae de- cidiffe. Qui cum eſſet prado ac tyrannus maxi- mus, duras ac plurimas in ſibi commiſſum popu- lum faciens exactiones, multas Eccleſiarum ſi- bi uſurpans poſſeſſiones; & propter hoc, aliâq; plurima mala, à uiris Religioſis corripere- tur, qui ei proponebant, in confeſſione, pœnam ma- lorum, & gloriam electorum, uerbum miſera- bile reſpondit. Si prædeſtinatus ſum, inquit, nul- la peccata poterunt mihi regnum calorum au- ferre; ſi præſcitus, nulla bona mihi illud uale- bunt conferre. Et ſicut mihi dicere ſolebat Non- nus Conradus ſenex monachus noſter, de Thu- ringia partibus oriundus, verſiculum illum Pſal- miſtæ: Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum, loco prouerbij, ad ſuam excuſationem, arguentibus ſe proponebat. Erat ſiquidem litteratus, & ob hoc amplius indura- tus. Et, cum ei dicerent uiri trimorati; Do- mine, parcite animæ veſtræ; deſiſtite peccare; ne Deus pronocatus peccatorem in peccatis occi- dat: iterum reſpondit: Cum uenerit dies mor- tis meæ, moriar; non illum potero bene uiuen- do extendere, neq; malè uiuendo præuenire. Vo- lens illum pius Dominus a tanto errore miſeri-*

Pſal. 113.

cor-



corditer renocare, & reducere ad mentem, infirmitate periculosa cepit eum flagellare. Vocatus est medicus eius, vir bonus & discretus, & non solum in Physica, sed etiam in Theologia non mediocriter litteratus. Cui Princeps dixit: Ut vides, infirmus sum valde, adhibe curam, ut possim conualescere. Memor medicus illius erroris respondit: Domine si venit dies mortis vestrae, non vos poterit cura mea morti subtrahere; si vero morituri non estis de infirmitate ista, superflua erit medicina mea. Et ille: Quomodo sic respondes? si mihi non fuerit adhibita cura diligentia, & dieta proposita, potero tam à me ipso, quam ab alijs imperitis negligi, & ante tempus mori. Audito hoc verbo Physicus multum hilaris effectus, data occasione respondit: Domine, si creditis, vitam vestram posse protelari virtute medicinae, quare hoc credere renuitis de poenitentia, & operibus iustitia, quae sunt antidota animae? sine his anima moritur, sine his ad sanitatem, quae est in futura vita, nemo pervenit. Considerans Lant gravior pondus verborum, & quod rationabiliter perorasset, dixit ei: De cetero esto medicus animae meae, quia per tuam linguam medicinalem Deus liberavit me a maximo errore.